



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

93. Viterbio puero vix septennario rationis tamen capaci ante Sacramentu[m] Eucharistiæ aliquando sumptum dari debet Extrema Vnctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

lit, non peccavit, & pergere potest: secus, deliquit; & abstinere deinceps debet.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum, in qua supponitur nullus adesse consensus Domini siue expressus, siue tacitus, siue rationabiliter præsumptus, quod in enumeratis casibus non contingit.

XCIII. *Viterbius filiolum habet, qui septennio vix egressus in grauem incidit morbum. Parens de salutè filij sollicitus, cum iste antè iam confiteri fuerit solitus, in hoc etiam statu confessionem ab illo peragi cupit, sed ad hanc vi morbi & instantis mortis non amplius eum invenit aptum; igitur extremâ saltè vnctione eundè inungi petit à Parocho, sed intelligit ex isto, non solere pueris dari extremam vnctionem, antequam iisdem Sacramentum Eucharistiæ administretur. Quaritur. Vtrum pueris vsum rationis habentibus ante sacramentum Eucharistiæ aliquando sumptum Extrema Vnctio administrari possit?*

Videtur non posse. Ita Sotus in 4. D. 23. q. 2. art. 3. art. 2. Vivaldus de Extrema Vnctione c. de suscipientibus n. 7. & alij nonnulli haud infimæ notæ Theologi Moventur. Tum receptâ & vbique vigente consuetudine, quæ hoc sacramentum impuberibus negat. Tum quia extrema Vnctio Pœnitentiæ & Eucharistiæ succedit illorumque vices supplet. Ergo inepti ad hæc Sacramenta censerì non debent apti ad illud accipiendum.

Q 94.

Resp.

Resp. omnibus pueris septennio egressis & vsum rationis habentibus danda est Extrema Vnctio, etiamsi nec recipiant, nec apti sint recipere sacramentum Eucharistiæ. Ita Zamtranus *de Extr. Vnct. dub. 1. Sà V. Extr. Vnct. Layman l. 6. Tr. 7. c. 4. n. 2.* & communiter alij. Ratio est, quia pueri hoc sacramento indigere possunt tum ad concipiendam spem diuinæ misericordiæ, tum ad infirmitatem æquo animo sustinendam, tum ad tentationes dæmonis superandas, tum ad peccatorum remissionem, tum denique ad sanitatem corporalem consequendam.

Ad 1. in contrarium dicimus, cum pueris subinde salus æterna hinc dependere possit, consuetudinem negandæ ipsis Extremæ Vnctionis tolerandam à Prælati non esse, his tamen tacentibus, Parochos excusari à peccato, si iuxta illam procedant.

Ad 2. cum pueri post septennium capaces sint Pœnitentiæ, etiam extremæ Vnctionis esse capaces, cum hoc Sacramentum sit illius consummatiuum; Imò etiamsi Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam peccasse actualiter, deberet tamen illum inungere contra Ioannem Sanchez *in select. D. 27. n. 18.* docet post Suarez *Tom. 4. in 3. part. D. 42. sect. 2. n. 10.* Conink Fillucium & alios Diana *P. 3 Tr. 4. Res. 181.* Eisdem pueris Sacramenti Pœnitentiæ capacibus etiam sacramentum Eucha-

Eucharistiæ in articulo mortis dari posse, docent Tanner 3. p. D. 5. q. 6. dub. 5. n. 116. & post alios non paucos Diana 3. part. cit. Tr. 6. Resol. 89. vtut aliàs Extrema Vnctio in pueris aptitudinem ad Eucharistiam sumendam nō supponat.

XCIV. *Vrsatius* Sacerdos ex beneficio suo pro annuis redditibus facile mille habet florenos; è quibus, etsi vix mediam partem pro congrua sustentatione requirat, omnes tamen annuatim expendit in amicos non indigos, aliosque vsus profanos, ratus se æquè de illis, ac alium quemuis de bonis suis disponere posse. *Queritur.* 1. *Vtrum Vrsatius suorum reddituum perinde omnium sit dominus?* 2. *si est, an idcirco de illis omnibus etiam superfluis pro libitu disponere possit?* 3. *Si nō possit, vtrū teneatur ad restitutionē tū ipse, si quid profanè elargiatur; tū alij, si quid ab eodem sic accipiant?*

Videtur *Vrsatius* minimè esse dominus omnium reddituum etiam superfluatorum. Ita Alexander, Antoninus, Richardus, Héricus, Maior, Waldensis, quos affert Vasquez *opusc. de redditib. c. 1. §. 3. d. 1. n. 24.* Item Panormitanus, Hostiensis, Nauatrus *toto tract. & apolog. de Ecclesiast. redditib. ac communis Canonist. apud Couarr. c. cum in officijs de testament.* qui omnes consequenter negant, *Vrsatium* pro libitu disponere de illis posse, aded vt si superflua ex beneficio suo in profanos vsus expendat, tum ipse, tum is, qui accipit, teneatur ad restitu-